Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cod. Biblia sacra (omisso Psalterio)

Biblia sacra (omisso Psalterio) - Lichtenthal 13

Lichtenthal (?), [um 1300]

Prolog

urn:nbn:de:bsz:31-35330

Visual Library

se mundo in domum domini. Et assumam ex eis in sacerdotes et in levitas dicit dominus: quia sicut celi novi et terra nova que ego facio stare coram me dicit dominus. sic stabit semen vestrum et nomen vestrum: et erit mensis ex mense et sabbatum ex sabbato. Veniet omnis caro ut adoret coram facie mea dicit dominus: et egredientur et videbunt cadavera virorum qui prevaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur: et erunt usque ad sacietatem visionis omni carni.

Explicit liber ysaie prophete. Incipit prefatio sancti ieronimi presbiteri in ieremiam prophetam.

IEREMIAS propheta cui hic prologus scribitur. sermone quidem apud hebreos ysaia et osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior: sed sensibus par est: quippe qui eodem spiritu prophetaverit. Porro simplicitas eloquii de loco ei in quo natus est accidit. Fuit enim anathothytes qui est usque hodie viculus tribus ab ierosolimis distans milibus: sacerdos ex sacerdotibus et in matris utero sanctificatus: virginitate sua evangelicum virum Christi ecclesie dedicans. Hic vaticinari exorsus est puer: et captivitatem urbis atque iudee non solum spiritu sed et oculis carnis intuitus est. Iam decem tribus israel assyrii in medos transtulerant: iam terras earum colonie gentium possidebant. Unde in iuda tantum et beniamin prophavit: et civitatis sue ruinas quadruplici planxit alfabeto: quod nos mensure metri versibus reddidimus. Preterea ordinem visionum qui apud grecos et latinos omnino confusus est: ad pristinam fidem correximus. Librum autem baruch notarii eius qui apud hebreos nec legitur nec habetur pretermisimus: pro his omnibus maledicta ab emulis prestolantes: quibus necesse est me per singula opuscula respondere. Et hoc patior: quia vos cogitis. Ceterum ad compendium mali rectius fuerat me modum finiri eorum silentio meo ponere: quam cotidie novi aliquid scriptitantem invidorum insaniam provocare.

Explicit prologus. Incipit ieremias propheta. Capitulum primum.